



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 111. Nemosii Dux supremus Gallici exercitus Præfectus in Italia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

modum oscitanter, remissoque studio effectui datum est: prævalebat enim in Gallis occupandi Neapolis Regni sollicitudo, Regis cupiditatem acriter stimulantibus nonnullis Proceribus Neapolitanis, qui vel patria exules, vel aliunde Arragonum familiæ infensi erant.

Sæcul. XV.
A.C. 1501.

§. CXI.

Nemosii Dux supremus Gallici exercitus Præfectus in Italia.

Ceterum Galliarum Rex Ludovicum Armeniacum Nemosii Ducem Gallici exercitus in Italia supremum nominabat Præfectum, elusis Ligniacensis Comitibus, qui copiarum imperium aucupari studebat, quod quidem Nemosius Dux acceptare haud cunctabatur, eo tamen discessum suum longius protrahente, Albinus illum prævenit, ac cum copiis, quas in Longobardia tenebat, procedens, Neapolin versus contendit comitante eum Cajatsio Comite, cum ipse inter eos, qui a Neapolis Regno proscripti erant, nobilitate generis haud infimus esset. Interea Fridericus accepto nuncio, quod Florentini urbis suæ deprædationem declinaturi, Gallis per suas ditiones liberam transeundi copiam concessissent, ad tuendos Regni sui fines exercitum eo conduxit; ibidem
vero

Marian. ut supra.

Sæcul XV. vero legatum excepit, quem Consalvus
A.C. 1501. Friderico supplicatum submitit, ne Hispani exercitus imperium a se susceptum fuisse, moleste ferat, cum suarum partium esset, Regis Catholici Domini sui jussis parere; his dictis legatus Montis Gargani Ducatum in Apulia Friderico, a quo eum Consalvus dono acceperat, reddidit, seque a clientelaris Sacramenti ob hunc Ducatum præstiti religione absolvi postulavit. Fridericus relaxato quidem jurjurando, ipsius tamen Ducatus restitutionem acceptare omnino recusabat, Legato significans, se potius factæ donationis diploma denuo ratum habiturum, id unice tamen precari, ne præfati Montis præsidarii in agros populabundi excurrerent.

§. CXII.

*Bellicus Friderici apparatus.**Marian. lib.*
27. n. 51.

Nihilominus hæc Consalvi legatio, ut ut officiosa, non parum tamen Friderici animum turbabat, auxitque timorem proxime adventantis Nemossii Ducis fama, ac foederis ab utroque Rege in Regni sui perniciem initi nuntius. Fridericus inter tot arcta prehensus filium suum, qui in ultimis Apuliæ, atque Italiæ finibus agebat, Tarentum ablegat, testaturque Mariana, illum non sine gravi gloriæ, sui que honoris labe clam Oratores